



**R. P. Christophori Gillii, Ex Brigantio Lvsitaniæ, Societatis
Iesv, Et in Conimbricensi Academia S. Theologiae
Professoris; Commentationvm Theologicarvm De Sacra
Doctrina, Et Essentia atque vnitade ...**

Gil, Christovão

Coloniae Agrippinae, 1610

Deo repugnat compositio ex eo, quo est, & quod est. cap. 5.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82291](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82291)

Deo repugnat compositio ex eo,
quo est, & quod est.

CAPVT V.

I. **I**D, quod propriè esse dicitur, est subiectum, id, quo, est forma: & quia vltimum omnium subiectum est suppositum, forma vero qua propriè esse dicitur, est natura, idcirco idem est inuestigare vtrum in Deo sit compositio ex eo, quo est, & quod est, ac ex natura, & supposito. Ad cuius dubij solutione oportet prius explicare, quid in hac re nomine naturæ, quid suppositi, aut rationis suppositalis intelligatur. Henr. in sum. art. 28. quæst. 5. naturam intelligit essentiam rei, & quidditatem dictam nomine absoluto, quam significat diffinitio: eam vero censet abstrahere ab omni ratione subsistendi, ac non subsistendi, vniuersalis, vel particularis, communis, vel singularis, & cuiuslibet alterius intentionis, quæ circa ipsam potest intelligi: itaque de mente eius natura appellatur simplex, nuda, & absoluta quidditas, siue essentia rei absque omni determinatione cuiuscunque extrinseci conceptus intellecta: quidquid autem extra eiusmodi rationem formalem pertinet ad ratione indiuiduationis totum ipsi extrinsecum, & accidentarium esse censet: atque adeo, cum dicitur aliquid creatum componi ex supposito, ac natura, intelligit de natura secundum propriam, & formalem diffinitionem. Eodemque modo videtur accipere D. Thomas. 1. p. quæst. 3. art. 3. vt patet ex ratione, qua vtitur ad probandum in rebus compositis ex materia, & forma necessario differre essentiam, vel naturam à supposito, quoniam, inquit, *essentia, vel natura comprehendit in se illa tantum, quæ cadunt in diffinitione speciei*, & infra ait has carnes, & hæc ossa, & accidentia designantia hanc materiam non includi in humanitate; & tamen includi in eo, quod est homo: ex quo colligit id, quod est homo, habere aliquid in se, quod non habet humanitas, & consequenter distingui vnum ab altero: & humanitatem significari tanquam partem formalem hominis, quia principia diffinientia habent se formaliter respectu materiæ indiuiduantis.

II.

Tametsi Philosophicè loquendo absolute natura sumatur pro essentia secundum propriam, & intrinsecam principia abstrahendo à rationibus, quæ ipsi accidunt, quæ in rebus creatis non est nisi natura communis speciei, quo etiam modo nonnulli Patres loquuntur, vt Basilii in Epist. ad Greg.

de differentia naturæ, & hypostasis, & Damascen. lib. 3. de fide cap. 4. & 6. tamen quando inter naturam, & suppositum, aut rationes suppositales fit comparatio in ordine ad compositionem, non hoc modo sumi debet, sed pro natura singulari. Probatur autem, quoniam vel suppositum non est aliud, quam natura, simul cum conditionibus indiuidualibus, vel præter has includit aliquid sibi proprium prout distinguitur à natura singulari: primum non est dicendum, alioquin in Christo Domino esset verè suppositum creatum: quoniam ibi est natura humana singularis cum conditionibus indiuidualibus, cum his carnibus, & ossibus: quare cum sit hæresis damnata ab Ecclesia asserere in Christo suppositum creatum, hæc carnes, & ossa, & conditiones materiales, atque indiuiduales non complent rationem suppositi: neque ratione ipsarum præcisè distinguitur suppositum à natura, si vero detur secundum, iam erit aliquid, quo suppositum propriè à natura distinguitur, & ratione cuius cum ipsa facit compositionem: hanc vero non minus facit cum natura singulari, quam cum vniuersali, imo magis propriè cum singulari, cui immediatè copulatur ratio supposititalitatis, & ratione cuius natura vniuersalis dicitur componi cum ratione suppositali. Et confirmatur: quoniam, si Verbum diuinum nunc dimittit naturam humanam, ita, vt ea terminaretur ad propriam personalitatem de nouo resultantem, verè fieret de nouo compositio ex natura, & supposito: ex parte autem suppositi non se haberent hæc carnes, & ossa, quæ præerant in natura singulari, eamque integrabant, sed supposititalitas de nouo resultantis, ita vt compositio censetur fieri ex hac natura singulari, & hac indiuidua personalitate: non est autem diuersa compositio in alijs hominibus, ac esset in illis: quapropter quædo inquiritur vtrum in re aliqua sit compositio ex natura, & ratione suppositali, intelligi debet de natura singulari per se quoad omnia sibi intrinseca in ratione huius naturæ.

Ex his etiam patet quid nomine supposititalitatis intelligatur, nempe id, quo præcisè distinguitur suppositum à natura, & vltimo constituitur, & quo sublato dissoluitur ratio suppositi. Quæ vero sit propria ratio supposititalitatis, & quam distinctionem habeat à natura, non est huius loci disputare, dicitur autè in materia de Trinitate, ad præsens institutum sat est supponere ratione supposititalitatis esse id, quod suppositum addit supra naturam singula-

rem,

III.

rem, completatam, atque perfectā in gene-
re naturæ. Porro eiusmodi rationem con-
ereta nomina communiter important, ali-
ter tamen, atque aliter: nunc satis est ea
distinctio, qua quedam dicuntur illam im-
portare confusè, & indefinite vt nomen
homo, quod concernit suppositum huma-
nitatis non hoc, aut illud in particulari, sed
hoc, vel illud indistinctè: quædam vero
determinate, vt Socrates, Plato. In diuinis
autem, vt rectè notat Syluester in consiliato
quæst. 3. art. 3. initio, proportionem quadam
est eadem distinctio: nam nomen Deus,
quamuis significet singularem, determina-
tamque naturam, non concernit tamen
vnum suppositum determinatum, sed in-
definitè vnum ex tribus suppositis diuinis:
& idèd, quoniam nomen Deus non solum
supponit pro personis diuinis, sed etiam
habet suppositionem absolutam pro sub-
sistente in Deitate, quatenus præcisè im-
portat subsistentiam singularem, & inde-
pendentem à supposito incommunicabili,
non minus disputari potest vtum Deus,
siue subsistens in Deitate admittat compo-
sitionem ex essentia, & subsistentia, quam
vtum Deus, quatenus supponit pro per-
sonis diuinis, aut aliqua ex illis, sit capax
compositionis ex eadem essentia, & perso-
nalitate. Et quidem hoc loco, vbi agitur de
Deo quoad essentialia, præcipuè tractanda
est quæstio, in priore sensu abstrahendo à
personis, & considerando Deum, quate-
nus est singulare subsistens in Deitate ad
modum, quo ab antiquis Philosophis con-
cipiebatur, excludendo tamen incommu-
nicabilitatem, sub qua ipsi Deum apprehen-
debant: simul tamen agendum erit de
ipso quatenus determinate supponit pro
aliqua persona diuina, vt rectè monet Ferr.
lib. 1. contra Gent. cap. 21. initio.

IV. Non dari vero in Deo compositionem
ex eo, quod est, & quo est, siue ex supposito,
ac natura communis est sententia Theo-
logorum Alberti p. 1. tract. 4. quæst. 20.
memb. 3. ad primum, Sancti Thomæ 1. p.
quæst. 3. art. 3. cum Caietan. lib. 1. contra
Gentes cap. 21. cum Ferrar. & opuscul. 3.
cap. 10. Bonauent. in 1. d. 8. art. 3. quæst. 2.
Henric. in sum. art. 28. quæst. 5. Richard.
in 1. d. 8. art. 3. quæst. 1. Aureoli quæst. 4.
art. 2. Syluest. q. 3. conflati art. 3. Hispal.
in 1. d. 4. q. 2. art. 1. conclusionem 4. Proba-
tur imprimis testimonijs Sanctorum Pa-
trum. Ita expressè tradunt Iustinus Mart.
in responsione 144. ad orthodoxos, Na-
zianzen. tract. de fide paulò ante medium.
Cyrill. Alexand. lib. 1. Thesaur. cap. 8. ver-
sus finem, Richard. de Sancto Victore lib.

Gillij comment. Theol.

2. de Trinitate cap. 20. Bernard. lib. 5. de
consideratione cap. 7. & significant Patres
relati tract. 1. cap. 4. num. 8. dicentes quid-
quid est in Deo, esse Deum, & citat. cap. 10.
eiusdem tractat. qui asserunt in Deo non
esse aliud esse, aliud habere: in proban-
da huiusmodi veritate variant Doctores
Scholastici; probat Aureolus, quoniam
Deitas concipi non potest, quin paterni-
tas necessario includatur, & hæc, & illa con-
stituunt vnam per seitatem: atque adeò na-
tura concipi nequit, nisi sub ratione totius
personæ, quam constituit: ex quo sequi-
tur ex Deitate, ac supposito non resultare
vnicum conceptum compositum, cum
Deitas totum includat: & ita impossibilis
est compositio in Deo ex natura, ac suppo-
sito. Hoc argumentum, quatenus suppo-
nit paternitatem includi in conceptu Dei-
tatis, nõ habet vim: namque, vt in materia
de Trinitate dicitur, problema est: & ita
non potest assumi vt principium certum: si
vero procedat de Deo absolute sumpto,
quatenus dicitur habens Deitatem ratione
existentiæ essentialis, euidenter concludit,
quoniam existentia intrinsecè includitur
in essentia.

Idem probat D. Thomas vbi supra ex
eo, quod Deus careat compositione ex ma-
teria, ac forma. Huic autem probationi
obstat, quod substantiæ omnes separate
carent eadem compositione, & nihilomi-
nus dicuntur communiter à doctores ad-
mittere compositionem ex natura, & sup-
posito. Quin ipse D. Thom. 3. p. q. 4. art. 1.
ad tertium, admittit naturā Angelicam
potuisse assumi à verbo diuino: quæ as-
sumptio non aliter fieret, quam supplen-
do propriam personalitatem naturæ assu-
mendæ: atque adeò in ipsa quoque natura
Angelica supposititalitas est aliquid suapte
natura distinctum ab essentia, & cum ea
compositionem faciens: idque concludit-
ur de mente D. Thomæ, qui ex eo probat
Deum esse idem, quod sua natura, & conse-
quenter nõ pati compositionem ex suppo-
sito, ac natura, quia fit mutua prædicatio
inter concreta, & abstracta: dicitur enim
Deus vita, &c. quod in natura Angelica nõ
ita se habet: vt enim idem Sanctus Doctor
ait 3. p. q. 17. art. 1. natura non prædicatur
de persona nisi in Deo, in quo non differt
quod est, & quo est; Ad huiusmodi solutio-
nem multa congerunt Thomistæ aliqui,
quos benè impugnat Suar. in Met. disput. 34.
sect. 3. num. 16. ipse vero num. 17. ita
exponit D. Thom. vt dicat ipsum eo arti-
culo solum probare non esse in Deo com-
positionem ex eo, quod est, & quo est, qua-

Ggg

tenus

tenus hæc distinctio sumitur à materia, & forma: probaturum vero inferius non dari ex alia radice, ex qua reperitur in substantijs immaterialibus: & ita supponere colligi distinctionem suppositi à natura, quoties substantia singularis supra naturam specificam addit aliquid ipsi extrinsecum, siue hoc sit principium indiuiduationis, siue accidens: tum vero art. illo 3. excludere à Deo principia indiuiduantia, quæ sint extra essentiam Dei, & quoad hoc non est diuersitas in Deo, & Angelis: verum quia planum est, & eadem q. art. 6. à D. Thoma probandum non posse conuenire Deo accidentia, idcirco absolute intulisse Deum esse suam Deitatem, quod ibi de Angelis minimè asseruit, alijs vero locis aperte negauit: & ita constat rationem adæquatam, cur D. Thomas senserit Deum esse suam Deitatem, nõ sumi solum ex eo, quod non constet materia, & forma, sed ex eo, quod nihil habeat extra rationem essentia.

VI.

Hæc expositio conciliat quidè doctrinam D. Thomæ, & à contradictione defendit: an vero sit ad mentem eius art. 3. citato, interpretes viderint. Mihi de re ipsa agendum, & statuendum est in primis non solum compositione ex materia, & forma inducere compositione ex natura, & supposito. Quæ sententia est cõformis doctrinæ D. Thomæ alijs in locis, Capreol. in 1. d. 4. q. 2. conclusionem 4. Hispal. ibid. q. 2. art. 1. conclusionem 3. Caiet. 3. p. quæst. 4. art. 2. Syluest. 1. p. q. 3. art. 3. §. 2. Ferrar. lib. 1. contra Gentes cap. 21. & aliorum concedentium in Angelis materiæ expertibus compositionem ex natura, & supposito. Quomodo autè ex compositione ex materia, & forma, vel accidentibus aduenientibus naturæ, hæc compositio colligatur, nondum patuit. Nam ideo ex compositione materiali D. Thomæ elicit aliam, quia suppositum includit has carnes, & hæc ossa, quæ natura specifica non includit: at hic iam non fit comparatio inter naturam specificam sed inter indiuiduam, ac suppositum: & ideo parum refert ad institutum vtrum suppositum plus includat, quam natura specifica, si tamen nihil amplius includit, quam singularis: at hæ carnes, & hæc ossa nõ minus pertinent ad naturam singularem, quam ad suppositum: in Christo enim non includuntur in supposito, sed sunt partes materiales illius singularis naturæ: ergo & in cæteris hominibus pertinent ad naturam, siquidem quoad intrinsecam naturam non est diuersitas in humanitate Christi Domini à naturis singularibus hominum reliquorum. Respondebit aliquis ex eo, quod sup-

positum includat aliquid amplius, quam natura specifica, & ab ea distinguatur, sequi etiam discrimen eius à natura singulari, quæ à specifica non distinguitur, & consequenter compositione cum eadem. Hæc tamen responsio non est idonea: nam, si inter naturam specificam, ac singularem non est vlla distinctio, etiam inter carnem, & ossa in communi, & has carnes, & ossa determinata non erit vlla distinctio, solidum enim differunt penes ratione communem, & particularem, quemadmodum natura specifica, & indiuidua: & consequenter ex eo, quod suppositum includat has carnes, & hæc ossa, nõ distinguetur actu à natura specifica, nec faciet cum ea compositionem. Itaque ex his carnibus, & ossibus, vel accidentibus extrinsecus naturæ non sumitur distinctio suppositi à natura, tamquam ex ratione intrinseca supposito, sed tanquam à signo: non tanquam à ratione intrinseca, quoniam hæ carnes, & hæc ossa vt iam dixi, non minus intrinseca sunt naturæ singulari, quam supposito: ratio vera intrinseca distinguens vnum ab alio non debet vtrique conuenire, sed solum illi, cui affert distinctionem: accidentia vero non possunt esse intrinseca composito substantiali, nec constituere discrimen substantiale: ac vero suppositum est compositum substantiale, ac differt à natura secundum modum substantialem. A signo vero, & posteriore colligitur, quoniam omnis substantia composita ex materia, ac forma, vel accidentibus subiecta est ens per participationem, & potentialitati immixtum: nullum vero eiusmodi est sua vltima, & completa perfectio substantialis, sed illa habet aliunde ex participatione summi boni: atque adeo facit cū illa compositione summam autem, & vltima perfectio substantialis naturæ creatæ est substantia suppositalis: quare non est idem quod illa, & consequenter facit compositionem cum ea.

Ex iacto principio facile deducitur repugnare Deo compositionem ex natura, ac supposito: etenim eiusmodi compositio supponit ex parte naturæ potentiam passiuam ad rationem supposititalitatis, tanquam ad propriam perfectionem: potentia vero passiuæ repugnat Deitati: ergo etiam compositio repugnat. At inquiet aliquis, supposititalitatem non esse perfectionem, cui ex parte naturæ respondere debeat potentia passiuæ: nam natura diuina in eo priore, quo nostro modo intelligendi præcedit diuinas personas, nondum intelligitur subsistere personaliter, nec tamen concipitur in potentia passiuæ ad ra-

tiones

VII.

S. Thom.
Capreol.
Hispalens.
Caietan.
Syluest.
Ferrariens.

iones personalitatis. Respondeo longe aliter se rem habere in diuinis, ac in creatis: nam in diuinis propter omnimodam identitatem in re ipsa non est prius, aut posterius, sed omnia sunt simul vnicum ens essentialiter, trinum personaliter: & sola cogitatione distinguitur natura à supposito, illisque prior consideratur: & ita non relinquitur locus potentiae passivæ, inter quam, & actum interuenit distinctio, ac prioritas ex natura rei: in creatis vero ubi interuenit distinctio & prioritas inter naturam, ac suppositum, & natura non habet ex se subsistentiam independentem à supposito, à quo ipsam mendicat, necessario interuenit potentialitas ex parte naturæ respectu modi suppositalis. Vt vero hoc magis appareat, altero exemplo illustrabitur: in creatis sapientia, & iustitia faciunt compositionem subiecti, & accidentis cum creatura intellectuali, à qua distinguuntur, cui conueniunt per participationem tanquam actus perficientes eius potentialitatem: sapientia vero diuina nullam compositionem cum Deo facit, quia nullo modo ab eo distinguitur, nec est actus adueniens ex participatione alterius, sed est ipsamet essentia diuina; si vero quis urgeat etiam inter naturam creatam, & propriam suppositalitatem non esse discrimen ex natura rei per aliquid, quod habeat rationem entis, & sit intrinsicum supposito, non naturæ, vt multi doctores sentiunt: atque adeò quo ad hoc non magis esse compositam substantiam creatam ex natura, & supposito, quam Deum. Respondeo hoc argumentum non esse contra præsens institutum, solum enim intendo probare Deum esse expertem huius compositionis, quod satis ostensum est, siue creaturæ expertes sint, siue non: deinde vero secundum meam sententiam substantiæ creatæ illam admittunt, quemadmodum etiam distinctione naturæ à suppositualitate: quomodo vero negata eiusmodi distinctione constet discrimen quoad hoc inter Deum, & creaturas, illi dicant, qui ipsam negant: imò vero hoc est maximum argumentum aduersus eorum sententiam.

VIII. Hoc argumentum ex æquo probat non posse conuenire eiusmodi compositionem Deo, siue accipiat quatenus concipitur subsistens in diuinitate, siue quatenus supponit personaliter pro singulis personis diuinis. Dubium vero est vtrum hæc veritas naturali lumine innotescat, an vero ex sola fide habeatur. Quidam recentiores respondent cum distinctione: nam si sermo sit de negatione compositionis ex natura

diuina, & rationibus suppositualibus trium personarum, censent non posse ratione naturali ostendi, quia probari nequit perfectam simplicitatem, & identitatem naturæ diuinæ cōsistere posse cum distinctione reali personarum inter se. Si vero abstrahamus à ratione supposituali personarum, & consideremus Deum, quatenus subsistens in natura diuina, aiunt ratione naturali ostendi posse Deum non esse subsistentem per additionem alicuius rei, vel modi à parte rei distincti ab essentia ipsius: atque adeò non dari in ipso compositionem ex natura, & supposito. Ratio vero est, quoniam subsistentia est de essentia Deitatis, nihil autem quod est de essentia alicuius facit cum eo compositionem, hæc enim exigit talem distinctionem inter componentia, vt vnum non includatur in essentia, siue ratione formali alterius: Hæc vero ratio non procedit, si applicetur ad personas diuinas, quandoquidem vt plerique Theologi docent, relationes diuinæ, quæ intrinsecè pertinent ad rationes supposituales personarum, non sunt de intrinseca ratione essentiae diuinæ, ideoque ex hoc capite non repugnet, vt cum essentia facerent compositionem: quamuis de fide habeamus repugnare propter summam simplicitatem Dei, & identitatem inter essentiam, ac personas.

Hæc sententia aliqua ex parte vera indiget maiore declaratione, pro qua obseruandum in primis rationem naturalem euidentem ad ostendendam huius compositionis impossibilitatem sumi posse vel ex rationibus communibus omni compositioni, vel ex proprijs ipsius; deinde notandum dupliciter ostendi posse repugnare hanc compositionem Deitati cum tribus rationibus personalibus, vel absolute absque vlla suppositione probando simul & esse tres personas, & in eis minime dari compositionem ex natura, & suppositualitate: vel conditionaliter supponendo prius ex fide Deum esse trinum, & vnum, postea vero probando singulas personas non habere veram compositionem ex natura & supposito. Hoc posito dico primum, hanc veritatem ex proprijs principijs compositionis ex supposito, & natura nullo modo posse naturali lumine demonstrari, siue de Deo absolute considerato, siue de personis diuinis: Fundamentum est, quoniam, vt demonstratio fiat ex proprijs, oportet intelligere naturaliter rationem propriam huius compositionis, & distinctionem naturæ à modo supposituali-

IX.

tatis: at nobis hæc ratio ac distinctio minimè comperta est necessaria, & euidenti notitia, sed posita fide Trinitatis, & incarnationis probabiliter opinamur de ratione supposititalitatis, ac genere distinctionis ipsius à natura, quod eundem auctorem non latuit, qui ex eo, quod lumine naturæ non possumus comprehendere hanc compositionem, nec habemus principium sufficiens ad distinguendam subsistentiam à natura, colligit non esse vnde ratio naturalis, vel suspicando possit eam attribueri primæ substantiæ: ex quo ulterius concludit, cum compositio imperfectionem sonet, nec sit eius vlla necessitas, aut vllum indicium in prima, æternæque substantia, euidens esse non posse illi attribui. Ex quo discursu si tollatur id, quod inuoluitur ex ratione communi compositionis illis verbis, *cum compositio imperfectionem sonet*, nulla omninò est euidencia: nam ex eo, quod ratio nostra non agnoscat in creaturis propriam rationem compositionis, solum sequitur quasi à signo non haberi argumenta, quibus probetur Deum esse capacem illius, non tamen euidenter ostenditur esse prorsus expertem: sæpè enim nos latet ratio multorum, quæ tamen esse non repugnat: verbi gratia si quis argueret in hunc modum, naturali ratione non possumus in creaturis inuenire multitudinem suppositorum in vna natura singulari, nec vllam eius necessitatem, vel indicium in Deo, ergo non datur, tantum abest vt euidenter demonstraret, vt potius grauissimum errorem colligeret. Dicit aliquis esse disparem rationem, quoniam naturali lumine constat compositionem repugnare Deo, non autem multitudinem suppositorum. Verùm non soluitur argumentum: nam iam recurritur ad rationem communem compositionis: ego autem contendo non posse naturali lumine euidenter colligi impossibilitatem huius compositionis in Deo ex proprijs principijs, & causis ipsius.

X.

Dico secundum, principijs sumptis ex ratione compositionis in communi euidenter ostenditur Deum siue absolute, siue personaliter sumptum esse prorsus expertem compositionis ex natura, & supposito: est tamen nonnulla diuersitas, nempe quod ratio naturalis de Deo absolute sumpto probare id potest absque vlla suppositione fidei, lumine enim naturali demonstratur & esse Deum, & carere omni prorsus compositione: at Deum esse trinum agnosci non potest euidenter rationibus naturalibus: eo tamen ex fide sup-

posito, iam ratio naturalis absque noua reuelatione potest euidenter ostendere singulas personas diuinas esse omninò simplices omnis prorsus compositionis expertes: itaque diuersitas magis est penes suppositionem, quàm penes medium, quod ex natura compositionis, & diuinitatis sumitur: & ita, si esset euidens Deum esse trinum, sicut esse vnum, ex æquo posset lumen naturale rationis demonstrare Deum personaliter sumptum esse incapacem compositionis ex natura, ac supposito, sicut id demonstrat de Deo absolute, & essentialiter sumpto. Quod iidem auctores tenentur admittere: nam personas diuinas non pati compositionem ex supposito, ac natura sic probant; in omni compositione vera, ac reali singula componentia sunt extra rationem intrinsecam aliorum, ita vt nullum intimè includatur in altero: at vero diuina essentia, & supposititalitas non ita se habent, quare persona diuina non est composita ex natura, & essentia. Assumptionem ostendunt quoniam alioquin ipsum esse per essentiam non esset in re ipsa de essentia supposititalitatis diuinæ: ex quo sequitur ipsam non esse essentialiter ens necessarium, sed per participationem, & consequenter fieri ab aliqua causa, vel saltem manare ab essentia diuina, sicut in creaturis suppositum manet à natura: hæc vero repugnant Deo, vt per se patet. Ex quo discursu patet sumi idem principium, quod superius retuli ab iisdem auctoribus vsurpari ad ostendendum Deum absolute sumptum non admittere compositionem ex natura, ac supposito: quare sicut ex illo conclusionem illam putant euidenter deduci loquendo de Deo sumpto essentialiter, ita ex eodè deducetur euidenter similis conclusio de Deo personaliter sumpto. Quod quidem rectè sequitur quoad euidenciam illationis, non autem quoad euidenciam consequentis illati: ad hanc enim, vt lib. I. dictum est, requiritur non solum illationis, sed vtriusque principij euidencia: in hoc autè discursu deueniendum est ad aliquod principium viatoribus ineuidens, & ex sola reuelatione notum, nimirum eadem diuinitas est in tribus personis realiter distinctis.

Ex quo patet non conuincere argumentum supra relatum ex iisdem auctoribus ad ostendendum nõ posse euidenter ostendi personas diuinas esse compositionis huius expertes, tum quia idè principium applicat ad hoc probandum, atque ad probandum Deum absolute sumptum vacare eiusmodi compositione, tum vero quia, licet

id argu-

XI.

id argumentum solum habeat vim in Deo absolute sumpto, ut statim dicam, non defunt alia, quæ habeant in Deo personaliter sumpto. Illud vero argumentum non esse firmum ad probandum personas diuinas esse expertes compositionis ex natura, & supposito patet, quoniam assumptio nec est euidens, nec certa, dubitatur enim inter Theologos vtrum essentia diuina sit de ratione intrinseca, & conceptu formali quidditatio personalitatum diuinarum, siue relationum constituentium personas: & plerique negant: quia sententia stabilita, iam essentia, siue natura diuina, & personalitas relatiua ita se habent, ut neutra includatur in altera. Quamuis autem non sit huius loci, pertineatque potius ad materiam de Trinitate soluere rationem, qua assumptio ostenditur: breuiter tamen respondeo esse ens per essentiam non esse adequatum conceptum essentiae diuinae absolute sumptæ, quia essentia includit plura alia, ut patet, & ratio entis per essentiam includitur in alijs ratione distinctis ab essentia, ipsique extrinsecis, nempe in relationibus: & ita, quamuis ipsæ quoque relationes diuinae sint entia per essentiam, non proinde hæc in illis includitur.

XII. Ex dictis constat posita notitia suppositi, ac naturæ, & trium personarum in diuinis rationem naturalem absque alio fidei adminiculo posse ostendere Deum nullo modo esse capacem compositionis ex supposito, ac natura, utendo communibus principijs compositionis, quod facile erit applicanti rationes in superioribus adductas. Præcipua vero sumitur à ratione potentialitatis, & participationis, quæ in omni compositione reperitur: est enim potentialitas saltem in aliqua partium, maxime in ea, cui modo aliquo præexistenti altera aduenit: ratio vero entis per participationem conuenit omni composito; hoc enim, cum non sit ipsa forma, quæ est, ab ipsa, & per se habet participatam rationem entis: ex quo sequitur, si ex natura diuina, & ratione subsistendi fieret compositio, naturam ipsam diuinam, cui subsistentia intelligitur aduenire, non esse actum purum, sed potentialitatem inmixtum: Deum vero, aut personam subsistentem esse ens per participationem, non per essentiam, & consequenter non Deum: quæ duo sunt absurda manifesta, ut ex superioribus constat. Id autem, quod dictum est de primo ente, quatenus significatur hoc nomine Deus, & importat subsistens in Deitate, dicendum est etiam quatenus significatur quouis alio nomine concreto: ita

ut, quando dicitur sapiens, aut bonus, non importetur compositio ex sapientia, vel bonitate cum subiecto, quemadmodum importatur, cum homines dicuntur sapientes, aut boni: ut enim ait August. lib. 7. de Trinitate cap. 5. *Nefas est dicere Deum subesse bonitati suæ, & non esse suam bonitatem*, similiter quando dicitur pater, non inuoluitur actualis compositio ex paternitate, & Patre, siue supposito illam habente, quemadmodum apud nos.

In Deo non est compositio ex esse, & essentia.

CAPVT VI.

Essentia prout ab esse distinguitur, significatur per modum formæ intrinsecæ eius, quod est: &, quatenus communis est creatæ & increatæ, abstrahit ab ipso esse, siue quo concipi potest. Ipsum vero esse bifariam accipitur, ut patet ex D. Thoma 1. 2. p. q. 3. art. 4. ad 2. & q. 7. de potentia art. 2. ad primum. Henric. in sum. art. 28. q. 4. nempe pro complexo, & incomplexo: primum consistit in compositione intellectus, de hoc autem esse, cum non sit formaliter in rebus, sed in mente intelligentis, non procedit præsens difficultas. Porro esse incomplezum adhuc bifariam diuiditur ab Henr. ubi supra, & quod lib. 1. q. 9. nimirum in esse essentia, & esse existentia: esse essentia est, à quo res abstrahendo ab existentia dicuntur entia: nam, si consideretur homo secundum se abstrahendo à singularibus, verè est ens essentia, quæ denominatio sumitur ab aliquo esse: non enim res est nisi per esse, & de hoc intelligitur commune dictum Philosophorum, definitio est oratio indicans quid est esse, & secundum hoc diuiditur ens in decem prædicamenta: esse vero existentia est actualitas eiusdem rei; de utroque in ordine ad creaturas locutus est Auicenna in sua Met. lib. 5. primum ait habere rem de se essentialiter, secundum recipere ab alio, Comm. vero super quintum Metaph. ait quæstionem de esse vno modo pertinere ad prædicatum de genere, hoc est ad ipsum, quid est, quomodo prædicatur genus: alio modo ad prædicamentum accidentis, quia scilicet esse actualis existentia non est intrinsecum rebus creatis: hoc præmissio censet Henr. esse essentia, & ipsam essentiam esse idem, non solum in Deo, sed etiam in creaturis: à quibus abesse nequit, quoniam non habent illud ab alio effectiue, sed solum formaliter, hoc est à Deo tanquam ab exemplari participatum. Verum præsens quæstio

I.

S. Thom.

Henricus.

Auicenna.

Comment.